

ad Capitulum concedant et transferant regimen et administrationem Ecclesiae vacantis in nominatum et praesentatum a potestate laica; vel hanc administrationem et regimen ipsi suscipiant; vel auxilium, consilium, favorem praestent ut nominatis at praesentatis huiusmodi regimen Ecclesiae vacantis conferratur. Non est hinc admittenda illorum sententia qui interdicto afficiunt unos nominatos.

Manifestum autem ex lege est, in delinquentibus huiusmodi ausum temerarium requiri ut illatis poenis afficiantur: Legislator enim hunc disertis verbis requirit: *ac concedere et transferre.... ausi fuerint: Nominati et praesentati... qui administrationem suscipere audent.* Si ergo praesumptio desit, et qualibet ignorantia detineantur, vel metu compulsi fuerint, illatis poenis eximuntur; qui enim ignorantia qualibet in legis transgressione la-

borat, vel metus causa illam transgreditur audax dici non potest.

Porro sicut suspensio ab exercitio Pontificalium, ita et interdictum ab ingressu Ecclesiae, quae quid importent iam diximus, est speciali modo Summo Pontifici reservatum. Qua de causa Episcopi vi Capituli *Liceat*, ab eiusmodi censura delinquentes absolvere non possunt, quamvis sit occulta.

His autem, quas hucusque expendimus, concluduntur censurae omnes generales, vel generali de causa illatae a Pio Papa IX sive in *Const. Apostolicae Sedis*, sive extra, sive ex Conc. Tridentino renovatae.

Sed praeter has, Pius Papa IX, alias nonnullas particulares censuras immotas stare voluit, de quibus disserere nostrum non est; ideoque id unum agemus, ut ea quae Pontifex in sua addit Constitutione nonnullis animadversionibus, seu melius notis illustremus.

#### APPENDIX LVIII.

##### Porro ita prosequitur Pius Papa IX.

« Quae vero censurae sive excommunicationis sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut Sacris canonibus, praeter eas, quas recensimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institu-

torum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus. »

Dicendis ea praemittimus quae scribit cl. Avanzini *Comment. Edit. 3. man. pag. 97.*

« Hic aliqua umbra posset menti occurrere dicendo: Si Constitutio *Apostolicae Sedis* agit tantum de censuris universalibus, relinquens coeteras in eo vigore quo reperiuntur, cur in *Art. XV* recenset extrahentes absque legitima venia reliquias e Catacumbis Urbis Romae, easque censura plectit? Nonne haec est censura ratione peculiaris loci inflictata, sicut ex gr. ea quae inflingeretur ratione Bibliothecae sorvandae ne libri extrahantur? Item, cur in *Art. VII* censuras infligit in externos Romae commorantes ne ab aliis ordinentur, quam ab E<sup>m</sup>o Card. Vicario, vel sine eius licentia? Nonne haec censura inflictata est ratione peculiaris loci ubi externi commorantur? »

Resp. « Haec umbra diluitur, si animadvertas, eiusmodi censuras latas esse, non ad privatorum petitiones pro tutandis locis, ut contingit in censuris latis pro Bibliotheca, ne libri extrahantur, vel aliis similibus; sed per universales Romani Pontificis constitutiones, ex publica universalique Ecclesiae causa, et hoc sensu iam universales dici possunt. Praeterea agitur de locis, quae sub aliquo respectu dici possunt universalia, tum quia Urbs est princeps catholici Orbis, cui nullus fidelium est extraneus, ideoque patria est omnium Christifidelium; tum ob frequentissimum concursum invisendi ea coeme-

teria, sacra pignora vetustissima nostrae religionis; itemque ob eundem concursum iuvenum ex omni Orbis parte ut Romae sacras scientias addiscant. Eiusmodi rationes efficiunt ut dictae censurae maiori iure recenseantur inter universales quam inter particulares. »

Post haec, ex cit. paragrapho manifestum est, declarasse Pontificem non esse abrogatas reliquas censuras quae vel ab ipsis Romanis Pontificibus, vel ex Sacris Canonibus latae fuerunt in particularia instituta, vel cuiusvis generis loca particularia; cum enim hae censurae finem specialem habeant, atque afficiant unas personas alicuius coetus, Ordinis, Instituti, vel illa tantum loca, et non alia, conservandae potius erant quam abrogandae, ne finis praestitutus cum damno evidentissimo et personarum et locorum particularium in irritum mitteretur.

Non omnes tamen eiusmodi censurae particulares vim habere ex Piana Constitutione reperiuntur. Etenim 1. Legislator non affirmat eas se innovare, sed dicit eas non esse abrogatas, quo earum vigori nil addit; dum si innovatas dixisset, iis etiam vim addidisset quae in desuetudinem quacumque abiissent de causa.

2. At e contra expressis verbis decernit, eas tantum censuras firmas esse et in suo robore permanere, quae *hactenus in suo vigore*

perstiterunt. Ergo si vigorem, quacumque de causa, amiserunt, nullam de cetero vim habere censendae sunt.

3. Quin imo nec affirmare videtur Legislator, se confirmare omnes prorsus eiusmodi particulares censuras, quae hactenus in suo vigore perstiterunt, sed eas tantum quae latae sunt a) sive pro Romani Pontificis electione; b) sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium; c) nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint.

Si igitur eiusmodi particulares censurae non pertineant ad Romani Pontificis electionem, vel ad internum regimen sive Ordinum regularium, sive locorum piorum, confirmatae a Pio Papa IX censi non possunt.

Hinc, ut nobis videtur, abrogatae censendae sunt censurae latae ad impediendum quominus libri extrahantur a Bibliothecis, vel succidantur arbores nemorum huius vel illius religiosae familiae etc.: hae enim censurae non pertinent ad regimen internum Ordinum religiosorum vel aliorum Institutorum ecclesiasticorum. Ut itaque deprehendamus quanam post Pii IX Constitutionem censurae particu-

lares vigeant, stricto sunt sensu allegata superius verba sumenda, ne ad alios casus non comprehensos legem extendamus.

Porro censurae latae pro Romani Pontificis electione comprehenduntur in duabus Constitutionibus latis a Gregorio XV, quarum prima lata die 13 Novembris 1621 incipit *Aeterni Patris Filius*; alia quae continet caeremoniale in electione Summi Romani Pontificis observandum, atque incipit *Decet Romanum Pontificem*, lata fuit die 12 Martii 1622. (1).

Advertendum tamen est, hac in secunda Constitutione nullam contra transgredientes Gregorium XV censuram intulisse, sed unam indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius fuisse comminatum; ideoque censura quae lata viget pro electione Summi Pontificis ea est quae continetur in Const. *Aeterni Patris Filius*.

Observamus autem, hac in Constitutione plures censuras pro diversis transgressionibus et personis latas reperiri. Prima quidem in eos qui transgrediantur aliquam regulam ex iis quae pro eligendo summo Pontifice statuta sunt, quaeque ad suffragia et ad varios electionis modos referuntur. Haec § 14 his verbis effertur. « Si quis

(1) Habentur in Bullar. Edit. Taurinen. Tom. XII, pag. 619, et 662. Ritum servandum in electione Summi Pontificis nos retulimus in Commentariis nostris Tom. I, Append. XIV, pag. 418, in qua etiam Gregorii X Constitutionem quam Gregorius XV expressit in suis, retulimus.

» autem aliquid ex supra expressis  
» non servaverit, aut quomodo-  
» cumque directe vel indirecte in  
» aliquo contravenerit, sententiam  
» excommunicationis ipso facto in-  
» currat. »

Ex quo patet, excommunicationem incurri pro transgressione singularum actionum in electione praescriptarum, ita ut satis sit unam actionem vel regulam transgredi ad excommunicationem incurrendam.

Exinde autem nemo inferat, tot excommunicationes Cardinalem delinquentem incurere quot regulas transgreditur. Legislator enim ad inducendam accuratissimam legis observantiam voluit ut nil ex iis quae praescripsit pro Summi Pontificis electione praetermitteretur, illata excommunicatione in eos qui aliquid praetermitterent. Sed semel excommunicatio incurritur quamvis quis plurimas transgrediatur regulas.

Alia excommunicatio fertur in Cardinales qui eliguntur ad deferenda in Conclave infirmorum suffragia, quae continetur § 15. « Prae-  
» terea statuimus et ordinamus,  
» quod si aliquem infirmitas im-  
» pediverit ad scrutinium venire,  
» ad eum adire debeant tres Car-  
» dinales, sorte ante scrutinium,  
» ut infra ad hanc rem ex omni-  
» bus Cardinalibus per ultimum  
» Diaconorum extracti, cum capsula  
» praeforata, sed inani, et palam a  
» scrutatoribus clausa, cuius clavis

» super altare remaneat, et sche-  
» dulam impressam illi deferre,  
» ipseque illam, sicut alii Cardi-  
» nales, praevio iuramento supra-  
» scripto, secretae conficere teneat-  
» tur, deinde in capsulam coniiciat,  
» eaque per eosdem Cardinales re-  
» lata et aperta, in calicem sche-  
» dula mittatur. Publicato deinde  
» scrutinio, si accessus agendus  
» erit, ut etiam infirmi accedere  
» possint, unum ex foliis, in qui-  
» bus nomina Cardinalium et suf-  
» fragiorum numerus notantur, a  
» tribus Cardinalibus praedictis su-  
» matur, et palam recognito nu-  
» mero suffragiorum, quae quisque  
» in scrutinio tulerit, ad infirmum  
» una cum alia impressa schedula,  
» pro accessu parata, et cum ea-  
» dem capsula ab iis deferatur.  
» Infirmus vero alicui accedere,  
» vel nemini accedere debeat, o-  
» mniaque et singula serventur quae  
» de scrutinii schedula supra ordi-  
» nata sunt, sub eadem excommu-  
» nicationis latae sententiae poena.  
» At si quis scribere valetudine im-  
» peditus, per alium, praevio iura-  
» mento ab eo qui scribet prae-  
» stando de servando secreto, quod  
» sub eadem excommunicationis  
» poena servari mandamus, sub-  
» scribere libere possit. »

Alia excommunicatio fertur § 16 his verbis. « Ad haec scrutatores  
» tres, sicut et tres alii Cardinales,  
» qui ad infirmorum suffragia de-  
» ferenda proficiscentur, ex omni-  
» bus Cardinalibus praesentibus in

» conclavi, nulla Ordinis servata  
 » distinctione, immediate ante quod-  
 » libet scrutinium extrahentur, et  
 » qui semel extracti fuerint in vas  
 » iterum coniciantur; alioquin si  
 » quis contrafecerit, sicut si scru-  
 » tatores vel recognitores aliquid  
 » secreti in exercendo suo officio  
 » cognoverint, et illud revelave-  
 » rint, eandem latae sententiae  
 » excommunicationem incurrant.»

Cum hae duae censurae ferantur  
 ob actiones a praecedentibus di-  
 versas, quaeque, ut ita loquamur,  
 exceptionem quamdam pariant, cum  
 locum habeant infirmitatis alicuius  
 Cardinalis causa, putamus duplici  
 excommunicatione certo Cardinalem  
 illum irretiri, qui et aliquam ex  
 regulis constitutis transgrediatur, et  
 postremas hasce dispositiones.

Idem porro dicendum arbitramur  
 de quarta excommunicatione quae  
 fertur in Cardinales si praetermittant  
 bis quotidie scrutinium agere; vel  
 recusent ad conclave pergere illius  
 agendi causa; (1) sunt enim actio-  
 nes diversae pro quarum singulis  
 irrogatur excommunicatio; illa igitur  
 incurratur sive Cardinales scruti-  
 nium bis quotidie non agant, sive

aliquis eorum ad conclave non ac-  
 cedat ut illud agat.

Quinto loco excommunicatione  
 feriuntur Cardinales qui agunt pa-  
 ctiones, promissiones etc. tam re-  
 spectu inclusionis quam exclusio-  
 nis. Haec fertur § 18 his verbis:  
 » Cardinales praeterea omnino ab-  
 » stineant ab omnibus pactionibus,  
 » conventionibus, promissionibus,  
 » intendimentis, conductis, foede-  
 » ribus, aliisque quibuscumque  
 » obligationibus, minis, signis, con-  
 » trasignis suffragiorum seu sche-  
 » dularum, aut aliis, tam verbo  
 » quam scripto, aut quomodocum-  
 » que dandis aut petendis, tam  
 » respectu inclusionis, quam exclu-  
 » sionis, tam unius personae quam  
 » plurium, aut certi generis, ve-  
 » luti creaturarum, aut huiusmodi,  
 » seu de suffragio dando, vel non  
 » dando: quae omnia et singula  
 » si de facto intervenerint, etiam  
 » iuramento adiecto, nulla et ir-  
 » rita, neque ad eorum observan-  
 » tiam quemquam teneri, aut ea  
 » transgressione notam incurrere  
 » fidei non servatae decernimus et  
 » declaramus, et contrafacientes  
 » ex nunc excommunicationis poena

(1) Haec habetur § 17: « Similiter ne electio protrahatur statuimus et ordina-  
 » mus, ut sub simili excommunicationis poena eo ipso incurrenda scrutinium bis  
 » singulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur, mane scilicet post solitam  
 » missam, et prima quidem die tantum post Cardinalium sacram peractam commu-  
 » nionem, et pomeridiano tempore hora opportuna post hymnum *Veni Creator Spi-*  
 » » *ritus*, et Orationem de Spiritu Sancto; idemque si compromissi via eligatur ob-  
 » servari debeat: atque ad scrutinium, cum tertium pulsata per loca solita con-  
 » clavis campanula de more fuerit, omnes et singuli Cardinales convenire debeant,  
 » valetudine non impediti, sub eadem excommunicationis latae sententiae poena ».

» innodamus; tractatus tamen pro  
 » electione habenda vetare non in-  
 » telligimus.»

Haec pariter excommunicatio pro  
 facto infertur absolute a praece-  
 dentibus diverso; ideoque si qui  
 eo et aliis commaculetur tot ex-  
 communicationes incurrat quot  
 transgressiones factorum vetitorum  
 admisit. Id vero intelligendum non  
 est quod si quis pluries ex. gr.  
 pactiones eiusmodi peragat, plures  
 excommunicationes incurrat.

Sexto loco excommunicatione  
 feriuntur tum illi qui in Pontificem  
 electi fuerint, posthabitis modis ab  
 Legislatore decretis, tum eligentes,  
 complices et fautores quilibet. Haec  
 excommunicatio habetur § 19. At-  
 que illam ita legimus: « Quod si  
 » electio huiusmodi alibi celebrata  
 » fuerit, quam in conclavi clauso,  
 » vel aliter quam per secreta sche-  
 » dularum suffragia duarum ex tri-  
 » bus partibus Cardinalium in con-  
 » clavi praesentium in scrutinio,  
 » seu scrutinio et accessu, electi  
 » suffragio non computato, vel per  
 » viam compromissi, ab omnibus  
 » Cardinalibus similiter in conclavi  
 » praesentibus, nemine dissentien-  
 » te, initi, et ita ut nemo seipsum  
 » elegerit, vel quasi per inspira-  
 » tionem, nullo praecedente de spe-

» ciali persona tractatu, omnium  
 » pariter Cardinalium praesentium  
 » in conclavi communiter, nemine  
 » itidem dissentiente, per verbum  
 » *Eligo* intelligibili voce prolatum,  
 » aut scripto, si voce non potuerit,  
 » expressum, nulla sit et invalida  
 » eo ipso, absque ulla declaratione,  
 » et ita electo nullum ius tribuat;  
 » quin immo is non apostolicus,  
 » sed apostaticus sit et habeatur;  
 » et tam ipse quam eligentes, eius-  
 » que fautores et complices sen-  
 » tentiam excommunicationis et  
 » anathema, aliasque censuras et  
 » poenas in vasoribus Sedis Aposto-  
 » licae a sacris canonibus et con-  
 » stitutionibus Apostolicis imposi-  
 » tas, pariter ipso facto incurrant,  
 » a qua, sicut ab alia quacumque  
 » in hac constitutione imposita et  
 » irrogata, seu infra imponenda et  
 » irroganda poena excommunica-  
 » tionis, tam ipsi, quam quilibet  
 » alius, sive S. R. E. Cardinalis,  
 » sive alia persona cuiuscumque  
 » gradus, conditionis dignitatis et  
 » praeeminentiae, a nullo, neque  
 » etiam a maiori poenitentiario,  
 » cuiuscumque facultatis vigore,  
 » praeterquam a Romano Pontifice,  
 » nisi in mortis articulo absolvi  
 » possit, (1) et tam ipse, eiusque  
 » complices et fautores, quam alii

(1) Attamen iuxta Constitutionem *Pastor bonus* latam a Benedicto XIV die  
 13 Aprilis 1744, qua facultates decernit Maioris Poenitentiarum et Officii Poeni-  
 tentiarum, Maior Poenitentiarius, Sede vacante, potest Cardinales etiam ab eiusmodi  
 culpis absolvere, servatis servandis: §. 51. « Sede Apostolica vacante, quoniam ani-  
 » marum salutem, quae omni tempore periclitatur, numquam non est subveniendum,  
 » unde merito Praedecessores nostri Officium Poenitentiarum etiam post obitum

» quicumque, etiam S. R. E. Cardinales huius Constitutionis in aliquo transgressores, aliis gravissimis poenis teneantur, futuri Pontificis canonice intrantis arbitrio irrogandis.»

Eiusmodi censura ab aliis superioribus irrogata omnino diversa est; illae enim irrogatae reperiuntur ob transgressionem partialem actionum quae hac in Constitutione a Pontifice circa Romani Pontificis electionem praescribuntur; haec vero illata fuit ob transgressionem ipsorum actorum substantialium, nimirum scilicet Romanus Pontifex eligatur, conclavi clauso, vel per inspirationem, vel per compromissum, vel per scrutinium; transgressio igitur haec in irritum mittitur, non hanc vel illam partem, aut dispositionem sed universam Pontificiam Constitutionem; consequenter Cardinales aut alii quilibet qui eiusmodi decretum princeps et essentialia transgressuri forent hanc unicam excommunicationem incurrerent; aut

» Pontificis continuare iusserunt; volumus et decernimus ut Maior Poenitentiarius (cuius facultas dicto tempore non expirat, sed tantummodo non habet exercitium extra Conclave), seu eius Officiales, facere et expedire valeant quaecumque ad forum conscientiae pertinent. Ideo absolvere seu absolvi mandare in dicto conscientiae foro valeant ab iis quoque censuris, a quibus alias vivente Pontifice adempta etiam maiori Poenitentiario, et Poenitentiariae Officio absolvendi facultas reperitur. Hac tamen lege (quemadmodum fel. record. Praedecessor noster Clemens Papa XII, lata Constitutione, quae incipit *Apostolatus Officium*, ad consulendum simul animarum fidelium salutem, et disciplinae ecclesiasticae conservationi, provide cavet); quod nempe in huiusmodi censuris, ad tempus dumtaxat, et cum reincidentia in easdem, servatis alias servandis, absolutio concedatur; ita ut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro locorum distantia definiendum, recurrere pro eadem causa teneantur; neque liceat Poenitentiario Maiori, eiusque Officialibus, praefixum terminum post Pontificis electionem ampliare, vel prorogare.»

etiam alias superius constitutas, si postquam transgressi fuerint illa partialia decreta, ad postremum hoc enorme facinus devenirent; quod incredibile, ne dicamus impossibile, est.

Postrema excommunicatio fertur in Cardinales qui praesumunt de constitutis a Pontifice in praesenti Constitutione aliquid mutare, vel contra statuere. Haec fertur § 20. « Postremo statuimus et districte praecipiendo mandamus, ut S. R. E. Cardinales, quaecumque se cretum violare quomodolibet poterunt, omnia evitare et cavere omnino teneantur, cum intentionis huiusmodi tam sanctum negotium, si fiat per scrutinium seu scrutinium et accessum, ut praefertur, secretissime transgatur; ac proinde iisdem omnibus et singulis S. R. E. Cardinalibus et eorum sacro Collegio inhibemus, ne contra haec vel horum aliquod statuere, dispo-

» nere vel ordinare, seu in aliquo corrigere, alterare, mutare, seu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare praesumant, quovis praetextu, causa vel exposito colore sub eadem excommunicationis poena ipso facto incurrenda.»

Et haec pariter excommunicatio fertur ob speciales transgressiones ab aliis omnino distinctas; prohibet enim quilibet immutationes eorum quae in Constitutione decretae sunt. Cum enim Cardinales, Sede vacante, Ecclesiam regant et administrent, putare poterant vel praesumere, se latis Constitutionibus circa Conclave agendum, saltem ad unguem non teneri; consequenter se immutare quid posse, praesertim si placitum omnibus, opportunumque visum fuerit. Quod lata excommunicatione Pontifex prohibet in omnes et singulos lata, et ne ad effectum praesumptio eorum deveniat, prohibet etiam de eiusmodi immutationibus tractatus et molitiones haberi.

(1) Cum electio R. Pontificis gravissimi sit momenti Gregorius XV ad illam rite peragendam ita Cardinales hortatur. § 23. « Ceterum, etsi opus non esse in Domino confidimus, tamen pro officii nostri debito, et rei de qua agitur gravitate, admonemus, hortamur et in Domino obsecramus S. R. E. Cardinales, ut attente considerent personae, quam sustinent, officium et dignitatem, quam sacrum praeterea et quanti momenti sit opus quod tractant, et nihil quod se non deceat, nihil a re alienum committant, sed cogitent quam perniciosum futurum sit universae Ecclesiae Christi sanguine acquisitae, si male administratur; ac proinde exuant omnes mundanas curas, et induant solum Dominum nostrum Iesum Christum, memores nihil prodesse homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiat. Denique animum advertant, se in conclavi clausos editissima in specula constitutos esse, et factos spectaculum Deo et hominibus, a Domino, cuius negotium gerunt, supplicii vel gloriae sempiternae retributionem citissime laturos.»

Ex iis vero quae supra relata sunt patet, eiusmodi excommunicationes esse specialissimo, ut ita dicamus, modo Romano Pontifici reservatas, atque ab aliis, etiam a maiori poenitentiario, absolvi non posse nisi in mortis articulo (1).

His circa censuras latis pro electione Romani Pontificis per summa capita adnotatis, eas indicabimus quae respiciunt regimen internum Ordinum regularium, aliorumque piorum Institutorum. Cum autem loquimur de interno regimine, loquimur de constitutionibus latis ad promovendum bonum spirituale ordinum religiosorum piorumque Institutorum. Si quae igitur Constitutiones latae quidem pro religiosis piisque Institutionibus reperiuntur, attamen non respiciant eiusmodi bonum spirituale, locum hoc in Capite non habent. Ut has censuras recenseamus.

1. Prima excommunicatio illa est, qua Monachis interdicitur curias saecularium Principum adire damni alicuius procurandi causa sive pro-